





Steph. 15





*Q. D. B. V.*  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
De

# MISERICORDIUM E TYXIA.

Ex MATTH. V. v. 7.

*QVAM*

IN ILLUSTRIS ELECTORALI ACADEMIA  
WITTEBERGENSI,  
SUB PRÆSIDIO

*Summè Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi,*

**DN. JOHAN. Deutschmann/**  
in hac Alma Leucorea Prof. Publ. longè  
Celeberrimi, Alumnorum Elector. Ephori  
Gravissimi.

*DN. Patroni, studiorumq; Promotoris submissè  
devenerandi,*

Publico Theologorum Examini proponet

**M. CHRISTIANUS Heydmann/**

Delitianus Misnicus, Alumnus Electoralis.

Ad diem 15. Novembr. Anno M DC LXXVIII.

*IN ACROATERIO MAJORI.*



WITTEBERGÆ,

Litæris JOHANNIS WILCKIL



*Reverendissimi, Serenissimi atq; Celsissimi*

*PRINCIPIS ac DOMINI,*

**DOMINI CHRISTIANI,**

Ducis Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium, Episcopatus Martisburgensis  
postulati Administratoris, Landgravii Thuringiae, Marchionis  
Misniae, ut & Superioris & Inferioris Lusatiae, Comitibus,  
Marchae & Ravensburgi, Dynastae in Ravenstein,

*Domini sui Clementissimi,*

**FILIIS HEROICIS,**

*Serenissimis ac Celsissimis Principibus ac*

**DOMINIS,**

**DOMINO CHRISTIANO,**

**DOMINO AUGUSTO,**

**DOMINO PHILIPPO,**

ET

**DOMINO HEINERICO,**

Ducibus Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium

&c. &c. &c.

*Avite virtutis Emulis Felicissimis,*

*Dominis suis Clementissimis*

Hoc *doctum* Theologicum

*cum humilima devotione*

Respondens offert

M. CHRISTIANUS Heydmannus

SS. Theol. Studiosus.



17WA 1711



I.  
ORACULUM CHRISTI UNDECIMUM,  
EX MATTH. V. v. 7.  
DE MISERICORDIUM  
EYTYXIA.

**T**extus Græcus: Μακάριοι ἐσὶ ἐλεήμονες, ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται. Latinus Vulgatus: Beati Misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur: Germ: Luth: Selig sind die Barmherzigen/denn sie werden Barmherzigkeit erlangen.

1. Ad hujus Oraculi consuetam & receptam explicationem, adducere placet 1. *Analysin Grammatico-Philologicam*, ut prius textum evolvamus, & nonnulla monitu digna circa Textus particulas, vel ipsas voces afferamus.

2. Μακάριοι: vox hæc quinta vice nunc à Christo producit, & eadem quinta Christiana beatitudinis gradus indicitur, ita tamen, ut ostendat, hanc beatitudinem non esse speculativam, sed practicam, non intellectualem, sed usualem, quâ de causâ non in abstracto beatitudinem, sed in Concreto, Beatos introducit. Tres enim Triadas Beatorum Christus Salvator à requisitis, vel ἀπὸ ἀπαιτήσεων veræ beatitudinis introducit, quarum prima respicit antecedentia requisita, quoad Christianam pœnitentiam cum paulò ante dixerit: *Pœnitentiam agite: nam appropinquavit Regnum Celorum. c. IV. 17.* Describit autem verè Beatos antecedenter (1) à pœnitentialis conditionis statu, nimirum à spiritus paupertate. v. 3. (2) à pœnitentialis Conditionis luctu, vel à spiritus proprietate. v. 4. (3) à pœnitentialis operationis effectu, vel à spiritus activitate, quatenus pœnitentialis paupertas, & luctus, pœnitentes humiliat, & mitissimos reddit. v. 5. Altera Trias Complectitur ingredientia, vel Constituentia, seu Concomitantia, sic beatos describit. (1) quoad beatitudinis objectum, quod est justitia Christi. (2) quoad beatitudinis symbolum, quod est misericordia. v. 7. (3) quoad beatitudinis subjectum, in quo Cordis puritas invenitur v. 8. Tertia Trias beatorum continet requisita Consequentia, quâ ratione describit beatos (1) quoad consequens Christiana pacificationis



pacificationis. v. 9. (2) quoad consequens tyrannica persecutionis  
v. 10. (3) quoad Consequens mundanae maledictionis. v. 11,

3. Οἱ ἐλεήμονες, *Misericordes*, ἐλεήμων verbale nomen est ab  
ἐλεέω, *miserereor*, & significat non eum, qui modo quovis *misericos*  
est, aut uno, vel altero saltem actu *misericiordiam* exercet, sed qui  
*habitu misericordiae* sibi variis operibus misericordiae compa-  
ravit, & ex habitu *misericiordiae* semper operatur; nam *verbalia*  
*nomina*, quae desinunt in *μων*, juxta *Philologos*, *habitu* designare  
perhibentur, sicut *σοφῶν* significat *habitu prudentiae praeeditum*,  
*Φρόσιμων*, vel *Φρόδιμων*, *habitu consideratè agendi possidentem*  
&c: & sic distinguitur ab ἐλεείων participio Rom: XII. 8. quod  
significat ejusmodi Christianos, qui certis actibus misericordiae  
suam erga miseros & afflictos misericordiam demonstrant,  
etiamsi non fiat ex *misericiordiae habitu*: sed ἐλεήμων *habitu*  
*misericiordiae*, & ex eodem agentem opera misericordiae denotat:  
unde bis saltem in toto N. T. nomen hoc reperitur (1) ἐξοχικῶς  
de Christo Salvatore Heb: II. 17. tanquam misericordissimo  
summo Sacerdote, qui magis, quam ex habitu, perpetuae miseri-  
cordiae opera erga nos miseros peccatores exercet: Debit per  
omnia fratribus assimilari, ἵνα ἐλεήμων γένηται, ut *misericos*  
fieret, & *fidelis Pontifex ad Deum*, & ut re propitiaret delicta popu-  
li: in eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, Potens est & eis, qui  
tentantur, auxiliari. Factus est, inquit Athanas: orat: 3. contra  
Arian. p. 379. *misericos & fidelis*. *Misericos* quidem, quia seipsum  
pro nobis offerens, nostri misertus est. *Fidelis* autem, non quod fidei  
particeps fuerit, aut cuiquam crediderit, ut nos facimus, sed quod  
fide dignus esset in omnibus, quae ageret, aut diceret, & quia fidelem  
obtulit victimam, perdurantem scil: & non intercurrentem. (2)  
γενικῶς de Christianis quibusvis, verè penitentibus, & Deum,  
erga se propter remissionem peccatorum misericordem, sem-  
per, & in omnibus imitantibus, juxta Christi praeceptum Luc:  
VI. 46. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*.  
sich. l. reperitur. Et quod h. l. non *misericos* vulgariter,  
sed *misericos* singulariter, notabiliter, & habitualiter indi-  
centur, *articulus emphaticus* οἱ significare videtur.



3.

4. *Ὅτι* non sumitur, hīc *αἰτιολογικῶς*, ratione *miseri-*  
*um*, sensu *Papistico*, quasi propterea misericordiam consequan-  
tur, quia misericordes ipsimet sint, sed respectu *beatitudinis*,  
quia demonstratur, quā ratione beati dicantur, quia nimirum  
apud Deum misericordiam consequuntur: Vel etiam sumitur  
*ἐξηγητικῶς*, & *declarativè*, quia hac ratione declaratur, in quo  
beatitudo talis misericordium istorum consistat, nim. dum  
semper erga miseros ex habitu misericordiam præstant, semper  
apud Deum ex gratiā misericordiam impetrant.

5. *Αὐτοὶ* pariter *emphaticum* est, dum in omnibus Versicu-  
lis est repetitum, quod à Spiritu sancto certè sine causā factum  
non est, sed *partim* ad misericordium planiorem demonstratio-  
nem, partim ad ipsorum pleniorē commendationem, par-  
tim ad firmiorem beatitudinis applicationem &c.

6. *Ἐλεηθῆσομαι*, quod verbum *passivum* semel saltē apud  
Evangelistas, nim. h. l. reperitur. Sed apud *Paulum*, & *Petrum*  
sæpius occurrit *R. XI. 30. 31. I. Cor. VII. 25. II. IV. 1. I. Tim. I. 13. 16. 1. Pet.*  
*II. 10.* bis invenitur. *Ἐλεέω* est misereor, quod passim usurpatur:  
Sed *ἐλεέομαι* *passivum*, est *miseri-*  
*cordiam adipiscor, consequor*, cum  
*activa* verba, quæ juxta *latinos* per *deponentia* redduntur, *pas-*  
*siva* sua per nomen cum verbo *consequendi, adipiscendi, impe-*  
*trandi, vel patiendi* &c. significationem habente, reddi postu-  
lent. e. g. *Ἐθακαλέω, consolor, Ἐθακαλέομαι, consolationem con-*  
*sequor*, prout v. 4. vidimus. *διώκω, persequor, διώκομαι, persecu-*  
*tionem patior*: sic etiam *ἐλεέω, misereor, ἐλεέομαι, misericordiam*  
*impetro, vel consequor*. Misericordiam consecuturos esse non-  
nulli volunt à Deo, Hunnius, Aretius, Grotius, Menochius  
&c. alii ab hominibus, Theophylactus; alii conjungunt utrum-  
que, tum à Deo, tum ab hominibus, Chemnitius, Piscator, Ger-  
hardus &c.

7. II *Ἀλύσιον Logico Theologicam*, sic objectum præ-  
sentis *Oraculi* dicitur *ἰσυχία Misericordium*, quoad Formale,  
Beatitudo, vel *εὐτυχία*, quoad materiale, hic ad *Miseri-*  
*cordes* illa beatitudo restringitur. Ubi notandum, quòd *miseri-*  
*cordes* non dicantur (1) *in sensu physico*, quatenus homines nonnulli

A 2

faci.



faciles ad *συνπαθήσαι* per naturam sunt, & ad quævis mala pro oximi corde misericordie commoventur. (2) Nec in *sensu pirastico*, quando per multorum malorum experientiam homines misericordie consuetudinem contrahunt, sicut apud Pœtam Dido dicit: Non ignara mali miseris succurrere disco. (3) Sed in *sensu mystico, vel Theologico*, quatenus Christiani pœnitentes ab ipso Spiritu sancto semper ad misericordie Studium inflammantur & excitantur.

8. Dicitur etiam hîc *Εὐσυχία*, non quoad vitam naturalem, quâ ratione misericordia potius verum dolorem, quàm gaudium, potius miseriam, quàm *εὐδαιμόνιαν*, potius *δυσυχίαν*, quàm *εὐσυχίαν* includit, cum misericordia nihil aliud in se sit, quàm animi quidam dolor: Neque quoad vitam moralem, cum hîc de moralibus non agatur: neque quoad vitam civilem, cum neque de civilibus hoc loco sermo fiat: Neque quoad vitam celestem, cum in illa miseria nulla sit, nec absentia miserie misericordia locum concedat: Sed quoad vitam spiritualem cum Christus ad beatos spiritualiter h. l. respiciat, sicut antecedentia, consequentia, cum ipsis verbis Oraculi præsentis inferunt.

9. De hac *εὐσυχία misericordium* adducimus primum causas, postmodum certa quædam attributa. Efficiens causa vel est principalis, nim. Deus Trinus, qui Misericordium *εὐσυχίας* auctor est principalis (1) *ὁμοῦς*, quatenus unus est quoad essentiam (1) quia Deus omnia bene fecit Gen. I. 31. adeoque Misericordibus etiam hanc *εὐσυχίαν* decrevit, ipsoque pariter actu contulit. (2) quia Jehova misericors Ps. CXI. 4. *יְיָ* El miserationum & clemens Deut. IV. 31. etiam *יְיָ* *יְיָ* *יְיָ* Deo misericors & c. appellatur: & hæc misericordia DEI vera beatitudo, quam etiam hominibus misericordibus communicare constituit. (3) quia misericordia dicitur illustris quædam DEI corona Ps. CIII. 4. *corona* vero communiter felicitatis signum dicitur. (4) quia Prov. XXI. 21. qui sequitur *justitiam & misericordiam*, inveniet vitam, *justitiam & gloriam*, nim. à Deo, vel cotam Deo. (5) quia Deus misericordia, non sacrificiis delectatur Matth. IX. 13. XII. 7. (6) quia Deus est *ὁ πατὴρ τῶν δεικτιμῶν* II. Cor. I. 3. adeoque misericordia



*cordie quasi filia sunt DEI, quarum unam sibi desponsat, qui misericordiam exercet: & hæc summa beatitudo.*

10. (2) ὑπερευαγγέλιος, tum conjunctim, quia Deut. IV. 31. Jehova Elohim dicitur יהוה אלוקים Deus misericors, qui facit misericordiam in multa millia se diligentium, & custodientium præcepta sua, Deut. V. 10. & passim in scripturis modo ad Jehovam Elohim, modo simpliciter ad Elohim, misericordia cum suis privilegiis refertur: tum distinctim, sic refertur ad Patrem Luc. VI. 36. Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est, quæ tanquam misericors Pater cunctis, sive malis, sive bonis, benefacere dicitur Matth. V. 45. ad Filium, qui fideles sibi desponsat in misericordia Hos. 11. 19. ut eos reddat felices: ad Spiritum S. quia misericordia cum aliis virtutibus Christianis est donum Spiritus S. 1. Cor. XII. 4. fructus Spiritus Gal. V. 22. qui, tanquam Spiritus ὑιοθεσίας, in nobis clamat Abba Pater, & Deum ad misericordiam paternam provocat Rom. IX. 14. Gal. IV. 6.

11. (3) ἰδιοπροσηγοριος, sic ad Christum h. l. peculiariter principalis causalitas accomodatur, tum ratione præconii, quia præconis instar hanc beatitudinem proclamatur, & omnibus misericordiis annunciat: tum ratione testimoni, quia tanquam Testis κατ' ἐξοχήν, vel ὁ ἀπρὸς ὁ πιστὸς, Testis ille fidelis & verax Apoc. 1. 5. Testis magnus, & Johanne major Job. V. 36. hic de misericordiam beatitudine testatur: tum ratione promissi, quia, verba hæc sunt promissionis, Beati misericordes, quia misericordiam consequentur: tum ratione fundamenti, qui tota felicitas misericordium in Christo Jesu fundatur: tum ratione effecti, quia non alius, præter Christum, misericordium felicitatem operatur.

12. Vel Ministerialis, sic hujus beatitudinis misericordium Oeconomi, vel dispensatores, sunt Apostoli cum suis successoribus (1) quia sunt legati, seu vicarii Christi II. Cor. V. 20. sicut misit me Pater, inquit Christus, sic ego mitto vos Job. XX. 21. (2) quia non per aliud medium, quam per verbum, omnis beatitudo spiritualis communicatur Luc. XI. 28. jam autem non per alios ordinarie, quam per verbi Ministros, verbum beatitudinis prædicatur Rom. X. 14. quia ministri sunt dispensatores mysteriorum



**DEI** I. Cor. II. 1. jam autem *beatitudo misericordium* magnum Dei *mysterium* est.

13. Vel *instrumentalis*, quia ratione dicitur, quod aliud hujus *beatitudinis instrumentum* consideretur *ex parte Dei*, nimirum *Verbum Dei*, quod est in omnibus spiritualibus bonis atque donis adæquata *potentia DEI* credentibus omnibus ad *salutem*, sive *beatitudinem* Rom. I. 16. jam autem *spiritualis beatitudo misericordium* est ejusmodi *spirituale bonum credentium*: tum *baptismus*, quia per baptismum nascimur *ex Deo* Job. I. 12. *ex spiritu* c. III. 6. *beatitudo misericordium* autem est *spirituale Dei beneficium*, quod in hac spirituali nativitate nobis donatur, ita ut *miseriordes* esse possimus, sicut Pater noster misericors est Luc. VI. 36. & vere *simus beati*, sicut Pater noster in cœlis beatus est: tum *Cœna Dominica*, in qua participes reddimur corporis & sanguinis Christi I. Cor. X. 16. & ita quoque *Spiritus Christi* Gal. IV. 6. & sic Christum in *miseriordia*, & *mansuetudine*, & *humilitate*, per hunc spiritum imitamur Matth. XI. 29.

14. Et *ex parte nostri*, sic medium huius beatitudinis *miseriordium* non est (1) *natura nostra*, quia non nascimur, sed efficimur fideles, secundum illud *Tertulliani*: *Non nascuntur, sed fiunt Christiani*: & sic etiam non nascimur, sed renascimur *spirituales*, non nascimur, sed à spiritu Christi reddimur *Spiritualiter misericordes*, non nascimur, sed *spiritualiter beati* per verbum & fidem efficimur (2) neque *ratio nostra*, quia totus animalis homo, cum omni suâ ratione, neque percipit, neque percipere potest hæc spiritualia quæ Dei sunt I. Cor. II. 14. hæc autem *beatitudo misericordium* jure merito numeratur *inter Dei spiritualia*. (3) *nec industria nostra*, quia non est volentis, neque currentis, sed DEI *miserentis* Rom: IX. 16. hanc fidelibus conferre *beatitudinem misericordium*. (4). sed est *vera fides*, quæ, Deo donante *beatitudinem* hanc, spiritualis manus instar, eam apprehendit, cum fides sit unicum medium *ληπτικόν* *ex parte nostri*, quo cuncta Dei bona prehendemus, & nobis applicamus.

15. *Causa Materialis* alias non est unius generis, sed dicitur *alia ex quâ*, *alia in qua*, *alia circa quam*: *Materia ex quâ*  
dicitur



di citur aliàs *principium Constitutionis*, ex quo materialiter aliquid componitur : cum autem *beatitudo* misericordium inter corpora neq; numeretur, neq; numerari possit, ideò nec propriè loquendo materiam ex quâ recipere dicitur. Si quis autem ἀναλογικῶς, instar compositi, beatitudinem hanc considerare vellet, sic non incommode concipere potest, (1) *Verbi auscultationem*, utpote quâ mediante nobis omnia spiritualia communicantur. (2) *Dei donationem*, quia, nisi præcedat Dei δόσις, nullum certè locum nostra λῶψις habere dicitur, quia donum omne bonum desuper descendit à Patre Luminum *Jacob. I. v. 16.* tale vero donum bonum etiam est misericordium beatitudo. (3) *Fidelis apprehensio*, quia nisi fides vera talem beatitudinem apprehendat, nullum in nobis locum eadem invenit, aut invenire potest. (4) *Misericordiae operatio*, quia verbale Nomen, & operativum, est ἐλεημων, adeoq; perpetuam, occasione datâ, praxin & operationem includit. (5) *Misericordium conditio*, quod in hâc fidei, DEIQ; misericordiae simili, exercitatione misericordiae fideles acquiescant, & in eadem omnem, vel ἀνἀρχειαν, vel εὐδαιμονίαν, possideant. His omnibus conjunctis, ceu *partialibus*, vel *actibus*, vel *respectibus*, tota beatitudo misericordium materialiter absolvitur.

16. *Materia in quâ dicitur aliàs Subjectum*, quod (1) non est *Deus*, qui licet sit *beatissimè misericors*, & *misericordissimè beatus*, tamen *eminenter ipsi talis beatitudo*, non autem *spiritualiter*, de quò statu hic sermo habetur, adscribitur. (2) *nec angelus bonus*, ut pote qui tali respectu de beatitudine misericordium non participat, cum nec verbum audiat, nec fidem Christianam habeat, nec inter fideles Christianos locum inveniat. (3) *nec angelus malus* qui misericordiam omnem persequitur, adeoq; nec beatitudinem misericordium consequitur. (4) *nec homo, secundum statum creationis*, quo respectu bonis naturæ, non gratiæ per Christum factæ *Job. I. 18.* beatus homo fuisset. (4) *nec homo, secundum statum corruptionis*, quò pacto non *beati*, sed *miseri* sunt homines. Dum igitur homines corrupti sunt omnes verè beatitudinis expertes, etiâ nullum in iis locū obtinet beatitudo misericordium



miserericordium. (5) *nec homo secundum statum glorificationis*, in quò beatitudo quidem pura regnabit, sed misericordia nullum objectum habebit, cum nulla sit in Cœlis miseria, nec erga damnatos, propter absolutam Electorum cum divinâ voluntate conformitatem, ulla detur misericordia. (6) Sic igitur *homo fidelis*, vel *Christianus*, est unicum & adequatum beatitudinis misericordium subiectum, quod vel consideratur ὁ λικῶς, velut *Subiectum quod*, sic totus *Christianus* est *Subiectum* beatitudinis: vel ὑπερικῶς, ut *Subiectum quod*, sic *primarium Subiectum* est *anima fidelis*; respectu fidei, quâ possidet hanc beatitudinem *Christianus*. *Secundariū Subiectū* est etiā *corpus*, quia *misericos* cū gestib9 *miseri cordia* beatitudinem hanc demonstrat: tum verbis oris eam manifestat, tum *ipsis membris corporis* eam opere prestat.

17. *Materia* circa quam vocatur alias *Objectum*, qua ratione *Eutychia misericordiū* partim versatur circa *Objectum immediatum*, quod iterum sunt *fideles*, vel *Christiani*, circa quos beandos illa versari dicitur. Beat autē istos *formaliter beatitudine mystica*, vel *spirituali*, cum verba secundum substratam materiam intelligenda sint: & *beatitudine gloriosa*, vel *cœlesti*, consequenter, cum *mystica beatitudo*, qua talis, ad *cœlestem* tendat, & in *cœlestem* desinat: partim *mediatum*, quod sunt *homines miseri*, quorum miseria per *Christianam* οὐκ ἀδελφῶν misericordes afficiuntur, utpote quorum beatitudo consistit in hoc etiam inter alia, quando non tam verbis, quam factis, aliorum miseriam sublevare moluntur, & in eo suam beatitudinem consequuntur, quoties miseriam à suis confratribus, & æternæ vitæ cōparredibus amoliuntur.

18. *Causa formalis* consistit in ipsa *beatitudine*, restricta vid. ad *miseri cordes*, dum *beati misericordes* dicuntur. Hæc autem *beatitudo formaliter* modis variis considerari posset: nos modo potissimos *formales respectus* exponere constituimus, quod nim. hæc *beatitudo formaliter* consistat (1) in *vera cum Deo analogia*. vid. à priori, ut *simus misericordes*, sicut *Pater noster misericors* est *Luc. VI. 36.* nam quæ major, quæ melior esse poterit *beatitudo*, quam illa, quæ recta à *Deo* progreditur, ex *similitudine*



ex similitudine Dei proficiscitur, ex imitatione Dei formaliter oritur, & ad emulationem divinae beatitudinis instituitur? (2) in vera secundum misericordiam divinam emergia: nam divina misericordia semper actualis est, & in hac actuali misericordia suo modo beatitudo divina consistere dicitur: Unde qui misericordiam ad Dei misericordis exemplum imitantur, & hoc modo misericorditer operantur, illius beatitudinis imitandae, participes esse dicuntur, quae consistere dicitur in misericordia cordis, oris, & operis. Vid. D. Winstrup. b. l. p. 798. (3) in vera secundum operationem εὐδαιμονία: nam ipsi Morales Philosophi censent bonum summum in operatione perfecta virtutis perfecta consistere formaliter, prout ex ipsa summi boni descriptione manifestum: sic idem hoc loco dici potest, atque debet: sicut virtuosi viri summam ex operatione virtutis delectationem & voluptatem consequuntur: ita Christiani misericordiam operantes mysticam beatitudinis voluptatem consequuntur.

19. Causa finalis est, quoniam misericordiam consequentur, quibus indicatur (1) finis ratione Dei, nim. hic finis est Primarius, ut passim scriptura testatur Ps. XLI. 2. seq. CXII. 5. 6. Prov. XXI. 21. XXVIII. 2; Tob. IV. 7. Matth. XXV. 34. 35. Luc. XVI. 9. &c. & cum ea consentit Hilarius ad h. l. In tantum Deus benevolentiae nostrae in omnes delectatur affectu, ut misericordiam sit solis misericordibus praestiturus: item Chrysost. hom. 15. in Matth. Videtur quidem retributio aequalis esse, quod misericordes misericordiam consequentur; sed tamen est multo major: ipsi enim misereantur, ut homines, misericordiam autem consequentur ab universorum Deo. Non est autem aequalis misericordia humana & divina, sed quantum est & malitiae, & bonitatis medium, tantum haec ab illa distat. (2) Finis, ratione proximi, secundarius, quia misericordiam etiam consequentur coram hominibus, si non semper ab iis, quibus misericordiam praestant, tamen apud alios, quos Deus ad misericordiam impellit. Hinc scribit B. Chemnit. c. 51. H. E. Licet vulgaris sit apud homines beneficiorum oblivio: Christus tamen promittit fore, ut misericordes rursus in suis calamitatibus alicubi, si non apud suos beneficiarios, tamen apud alios



miseri cordiam & humanitatis officia inveniant. Deus enim, qui hominum corda habet in manu sua, potest, & vult ea rursus ad misericordiam flectere &c.

20. Post *Causas affectiones* notare deberemus, sed eas potius saltem annotare, quam explicare, brevitatis studium compellit. Et certe Misericordium *εὐτυχία* dicitur (1) *divina*, quia non est ab alio, quam à Deo, non est in alio, quam in Deo, non tendit ad alium, quam ad Deum. (2) *Necessaria*, quia sine hac nullam apud Deum misericordiam consequimur, adeoq; beneficio salutis excludimur. (3) *Jucunda*, quia jucundum, vereq; paternum, aut amoris paterni dicitur, misericordiam exercere, & per eam beatitudinem obtinere. (4) *Iusta*, vel *aqua*, quia quotidie talem misericordiam divinitus expectamus, ergo jure meritisimo talem observamus, & beatitudinem per eam nobis comparamus: Valet hic regula naturalis; *Quod tibi vis fieri, alteri quoq; feceris*. (5) *Universalis*, quia sine restrictione hic urgetur. (6) *Utilis*, quia multas in humana vita parit utilitates. (7) *Spiritualis*, quia proficiscitur ex fide. (8) *Supernaturalis*, quia non est naturæ bonum, sed divinæ gratiæ donum. (9) *Perpetua*, quia semper ei studendum. (10) *Salutaris*, quia beatitudinis indicium atq; Symbolum.

21. III. *Analysin Rhetorico-Homileticam*, quoad pulcherrima *Themata*, quæ Pastoribus in homileticis exercitiis præsens Oraculum suppeditat. Nos pauca quædam allegabimus. Nam Salvator noster, & ipse misericors, & misericordiæ Doctor sapius factus, hic nobis misericordiæ felicitatem commendare voluit, exhibens à *Misericordium Illustrem εὐτυχίαν*, quæ ratione tradit (I) *Illustris εὐτυχίας misericordium Naturam*, *μακαρίοι*, *felix sind* / [1] *beati nomine*, quia titulo tenus beati dicuntur. (2) *beati omine*, quia res ipsa *beatitudinis* misericordibus tribuitur. (3) *beati opere*, quia *beatitudinem* suam ipso demonstrant opere. (II) *Illustris εὐτυχίας misericordium culturam*, *Misericordes*: dum enim opere beati dicuntur, exercent misericordiam suam. [1] *miseri cordi animo*, cum vera misericordia sit *affectus internus cordis*. [2] *miseri cordi verbo*, quando miseros *verbis blandis*, con-

filiis



filiis saluberrimis, meramq; misericordiam spirantibus erigunt. [3] *miseri cordi factio*, quando miseris *actu*, vel *realibus beneficiis*, succurrunt, ipsisq; benefaciunt. (III) *Illustris Eὐτυχίας misericordium usuram*, denn sie sollen Barmherzigkeit erlangen / (1) *in regno nature*, ut bene sit ipsis in hoc mundo: dum enim suam erga miseros exercent misericordiam, ab aliis pariter in miseria sua consequentur misericordiam. [2] *in regno gratiae*, cum à Deo tales ex misericordia remissionem peccatorum consequantur, variis spiritualibus bonis ornentur, & à misericordia divina multis beneficiis spiritualiter exornentur. (3) *in regno gloriae*, dum ex misericordia Patris caelestis Dei regnum, & in eo felicitatem omnem consequuntur.

22. (II) Ἐλεημοσιολογία *Sacram*, in quâ consideramus (I) Ἐλεημοσιολογία *Sacra scopum, Beati*, felix sind / qui dicitur [1] *Scopus principalis*, quia *beatitudo summus*, sive *principalis finis*. (2) *Scopus Universalis*, quia loquitur in plur. μακαριοι sine restrictione. (3) *scopus causalis*, qui maximè movere, vel homines commovere potest, cum sit ipsa beatitudo. (II) Ἐλεημοσιολογία *Sacra Subiectum*, οἱ ἐλεήμονες, quâ ratione *subiectum* cum articulo, quoad *notabilem statum*, introducitur, & quidem (1) quoad *notabilem affectum*, dum intimum & intensissimum infert commiserationis affectum. (2) *Quoad notabilem affectum, vel aspectum*, quia infert maximum commiserantis consilium & solatium, vel etiam *aspectum* ex misericordiâ profectum *Luc. X. 33. XIX. 41. Job. VI. 5.* (3) *quoad notabilem effectum*, dum infert maximum commiserantis auxilium, & omne beneficium. (III) Ἐλεημοσιολογία *fructum*, quia misericordiam consequentur [1] à *Deo*, qui summè misericors est. [2] à *proximo*, quia, juxta Dei providentiam paternam, misericordibus etiam alii misericordiam exhibere contendunt. (3) à *Conscientia judicio*, quia nimirum ipsa conscientia misericordes solatur, & omnem delectationem in mediis malis dictare conatur.

23. [III] *Veram misericordiam Christianae doctrinam*, in quâ cernimus (I) *Christiane misericordiam veram metam*, felix sind: nam hæc est *meta*, quæ intenditur (1) *ab omnibus*, quia omnes contendunt



contendunt ad beatitudinem, tanquam ad finem ultimum. [2] *In omnibus*, quia nihil aliud in omnibus studiis, actionibus, & subordinatis finibus intenditur, quam ipsa beatitudo. [3] *prae omnibus*, quia nihil magis, quam ipsa beatitudo desideratur. (II) *Christiana misericordia veram naturam*, *οἱ ἐλεήμονες*, quæ consideratur [1] *ratione materiae*, quæ sunt homines misericordes, & quidem *misericordia Christiana*. [2] *ratione formæ*, quæ *fides* est, siquidem hæc sola Christianam misericordiam format, & informat. (3) *ratione energiae*, quia *veram energiam*, eamque *habitualement* & *perpetuam*, *ἐλεήμων* requirit, cum nomina *Græcorum*, in *μω* habitum inferant, ut superius observatum. (III) *Christiana misericordia consequentiam* vel *ἀπολαύσιαν*, quia *misericordiam consequentur*, & quidem (1) *misericordiam corporalem*, in sui persecutione, vel afflictione. (2) *Misericordiam spiritualem*, in peccatorum remissione. (3) *Misericordiam æternalem*, in caelesti glorificatione.

24. (IV) *Veram Misericordiam Christianam laudem*, quia Christus hic exponit, [1] *laudem beatitudinis*, cum nulla possit esse *laus* Major in practicis, quam ipsius *beatitudinis*, & quidem (1) *laus beatitudinis genuinae*, cum dici requirat inesse. (2) *Laus beatitudinis Christianæ*, cum de Christiana beatitudine sit h. l. sermo. (3) *Laus beatitudinis divinæ*, quia non est *humana*, nec *angelica*, sed *divina* beatitudo. (II) *Laudem rectitudinis*, *οἱ ἐλεήμονες*, quia dicitur (1) *Laus rectitudinis actualis*, cum sit *verbale* nomen, actionem connotans, *ὁ ἐλεήμων*. (2) *Laus rectitudinis habitualis*, cum habitualement perfectionem idem nomen inferat. (3) *Laus rectitudinis Universalis*, *οἱ ἐλεήμονες*, cum omnes tales esse possint, nec ullus à participatione misericordiae spiritualis removeatur. (III) *Laudem plenitudinis*, quia *misericordiam consequentur*, quibus *plenitudo fructus* hic designatur (1) *ratione sui*, dum enim misericordes sunt, ex divina gratia magis, magisque semper in misericordiae studiis excitabuntur, & conservabuntur. (2) *ratione Dei*, quia remissionem peccatorum ex misericordia Dei perpetuo consequentur. (3) *ratione mundi*, quia suis etiam in miseriis, quamdiu vivunt in hoc mundo, per divinam providentiam à mundanis hominibus misericordiam consequentur.



25. (V.) *Axiomata misericordium*, quia praesens Oraculum tradit (I) *Axiomata Misericordium antecedentia*, selig sind / quibus ostenditur, quod *Axiomata Misericordium* in mera, eaq; nō vulgari beatitudine consistant, quae dicitur hic, quod sit (1) *Beatitudo mystica*, ratione sui, quia consistit in *mysteriis*. (2) *beatitudo divina*, ratione principii, quia est à Deo. (3) *beatitudo calica*, ratione *subjecti*, quia datur in *regno caelorum*. (II) *Axiomata Misericordium Constituentia*, οἱ ἐλεήμονες, quibus axiomata luculenter explicantur (1) *ratione quidditatis*, tum quoad *abstractum*, quod est vera, spiritualis *miseriordia*; tum quoad *concretum*, quod sint *miseriordes*. (2) *ratione qualitatis*, quod sint οἱ, nim. ἐλεήμονες, *habitualmente* misericordes. (3) *ratione quantitatis*, *Miseriordes in plurali*. (III.) *Axiomata Misericordium consequentia*, quia misericordiam consequentur (1) *in bonis corporalibus*. (2) *in spiritualibus*. [3] *in caelestibus*.

26. (VI.) *Speculum misericordium*, quod Christus nobis contemplandum exhibet (I) *à priori*, quia beati sunt [1] *ratione scopi*, quem intendunt, & dicitur *beatitudo*. [2] *ratione motivi*, quia *beatitudo movet à priori* misericordes. (3) *ratione meriti*, quia *beatitudo*, tanquam summum bonum, maximè meretur, ut propter hanc misericordes fiamus, simus, & maneamus. [II] *Formali*, οἱ ἐλεήμονες, qui comparent in hoc speculo, quod sint misericordes (1) *Spiritualmente*, sicut Pater caelestis misericors est *Luc. VI. 36*. (2) *habitualmente*, ἐλεήμονες, qui semper ex habitu cum voluptate misericordiam exercent. (3) *actualiter*, εἰ, qui *notabiles* sunt, ac digitis quasi suis operibus misericordiae cunctis monstrari possunt (III) *À posteriori*, quia misericordiam consequentur. (1) *coram Deo*. (2) *coram Angelorum sodalitate*. (3) *coram proximo*.

27. IV. *Analysin Theoretico-Practicam*, quoad usus multiplicis varietatem, quia nobis hoc Oraculum offert [I] *Usus Didacticos* (1) *Miseriordiam* vel primum, vel praecipuum fidei iustificantis fructum esse, quia de causa Christus immediatè iustitiae fidei, vel ejus beatitudini, beatitudinem misericordiae subijcere voluit. Nam quando per fidem misericordiae Dei participes reddimur, statim ad misericordiam erga proximum accendimur *Eph. V. 32. Col. III. 13*. Hinc *Glossa* scribit: *Miseriordia nasci*.



*tur de precedentibus: quia si precesserit vera humilitas, & animus mansvescat, & suos, & aliorum casus fleat, & justitiam esuriat, post nascitur vera misericordia. Tunc enim miseras alienas faciet suas, & pro viribus juvabit: et si juvandi facultas deest, compassio non deerit. [2] Justitia & misericordia dicitur mutuus respectus, arctissimus nexus, quia sicut Glossa dicit, Misericordia & Justitia ita conjunctæ sunt, ut altera ab altera separari non debeat. Justitia sine misericordia crudelitas est: Misericordia sine justitia dissolutio. Misericordia sine justitia remissio & tepiditas: justitia sine misericordia severitas & austeritas dicitur. (3) Misericors est, qui propter Christianam *συνπαθειαν* proximum [a] consilio, [b] auxilio, [c] ipso beneficio, juvare contendit; illud principium, istud medium, hoc scopum & effectum misericordiae respicit, non enim tantum est affectus cordis, sed etiam effectus operis, unde Spir. S. h. l. non concretum ab *ἔλεος*, sed verbale concretum, vel juxta nonnullos concretum ab *ἐλεημοσύνη* adhibere voluit, ut designaret, hic conjunctim & misericordiam cordis, & operis intelligi. (4) Misericordes [a] consecuti sunt misericordiam de praterito, quia nim. ex misericordia Dei remissionem malorum atq; debitorum adepti sunt: [b] consequuntur misericordiam de presenti, quia Deo in ipso misericordiae actu suam erga misericordes movet misericordiam, providentiam, & beneficentiam. [c] consequuntur misericordiam de futuro, sicut h. l. Christus testatur: consequuntur autem misericordiam [a] in hoc seculo, quia Deus hic remittit culpam, largitur gratiam, affert spiritualia, confert temporalia, & sublevat à multiplici miseria. Sic Hilarius super *Matth.* In tantum Deus benevolentiae nostrae in omnes delectatur affectu, ut misericordiam sit solis misericordibus praeftiturus. Et August. 1. de serm. Dom. in monte. Qui subveniunt miseris, eis ita rependitur, ut de miseria liberentur. [β] in altero seculo, quando liberabuntur, ab omni miseria culpæ & poenæ, quod est maximum. (5) Beati dicuntur misericordes, non quasi misericordia nostra, vel alie virtutes beatitudinem afferant, vel quicquam ad beatitudinem conferant, sed quod sint proprietates beatorum, hinc etiam Christus in concreto loquitur, sunt testimonia veræ fidei, *τεκμήρια* Christianæ justitiæ. [6] Virtus misericordiae tantæ dicitur eminentiæ, ut inter virtutes sola Deo propria credatur, secundum illud, Deus, cui proprium est misereri. (7) Nulla virtutum est, à qua lubentius*

tius



tius, frequentius, & fructuosius in scripturis Deus denominari ve-  
lit, quam *miserericordia*, sicut passim videre licet. (8) Misericordiae va-  
rii sunt *effectus*, varii sunt *effectus*, e. g. Misericors est, qui *monet* er-  
rantem, *docet* ignorantem, *erigit* cadentem, *consolatur* afflicto, *vestit* nudum, *pascit* esurientem, *potat* sitientem, *visitat* aegrotantem,  
*condonat* peccanti offensiones, *orat* pro peccatoribus, *consilia dat*  
in anxietatibus, succurrit in tentationibus &c. *Chrysof. & Theophyl.*  
monent, misericordiam exerceri non tantum *ἡ ἀφ' ἡμετέρων*, sed &  
*ἡ ἀφ' ἡμετέρων, ἡ ἀφ' ἡμετέρων, ἡ ἀφ' ἡμετέρων* &c. [9] Quando misericor-  
diae nostrae promittitur misericordia non ibi concipienda *retribu-*  
*tionis aequalis* analogia, sicut *Chrysof. hom. 15. in Matth.* observat:  
*Videtur quidem retributio aequalis esse, quod misericordes misericor-*  
*diam consequentur: sed tamen est multo major: ipsi enim misereantur*  
*ut homines, misericordiam a. consequentur ab universorum Deo. Non*  
*est a. aequalis misericordia humana & divina, sed quantum est & ma-*  
*litiæ, & bonitatis medium, tantum haec ab illa distat.* [10.] *Misericordia*  
*est necessaria necessitate* [1] *praecepti Luc. VI. 36. Rom. XII. 15. I. Thes. V.*  
*14. [2] ordinis, divinitus instituti Matth. V. 45. [3] doni à Deo conces-*  
*si I. Reg. II. 50. [4] exempli Luc. VI. 36. Conf. Exempla sanctorum Job.*  
*XXX. 25. Jonathanis erga Davidem I. Sam. XX. 34. 41. Davidis erga Jo-*  
*nathanem & Saulem II. Sam. I. 12. erga Jonathanis posteros c. IX. 1.*  
*[5] promissi, quia sunt illustrissimae promissiones misericordiae Ps. XLI.*  
*1. 2. CXII. 5. 6. Prov. XIV. 21 XXI. 21. XXII. 23. Tob. IV. 7. Matth. V. 7.*  
*VII. 2. XXV. 34. 35. Luc. VI. 37. XVI. 9. II. Cor. IX. 6 [11] Quae sint opera mi-*  
*sericordiae, specialiter haec legantur Esa. LII. 6. seq. Matth. XXV. 35.*  
*36. & alibi.*

28. (II.) *Usus Elencticos*: Sic Christus hoc Oraculum oppo-  
suit (1) *Phariseis Matth. XV. 5. XXIII. 14. Marc. VII. 11. &c.* qui mise-  
ricordiae opera impediabant, saltem ut omnes opes ad se traherent.  
(2) *Epicureis*, qui suo proverbio, *λαΐσε βιάσας*, judicabant, se recte fa-  
cere, si quieti suae consulant, sibi, suisq; thesauros colligant, aliorum  
miserias nec respiciant, nec illis cor suum afficiant, multo minus  
ex illis miseros consiliis & auxiliis suis eripiant. Vid. *B. Chemnit. ad*  
*b. l.* (3) *Mundanis*, qui *beatius* censent accipere, quam dare: sed con-  
tra Christus misericordiam commendat, & demonstrat, *beatius esse*  
*dare, quam accipere, Act. XX. 35.* (4) *Stoicis*, qui docuerunt *ἀπ' ἀθείαν*  
vel indolentiam: *Succurrere sapientis esse, misereri non item: τὸς*  
*σοφῆς μὴ εἶναι ἐλεήμονας, καὶ μηδὲν συγγνώμην ἔχειν.* Hinc *Seneca*  
l. 2.



l.2. de Clem.c. 5. misericordiam in vitio ponit, quod sit vitium animi pusilli, Vid. Cic. l. 3. Tuscul. quæst. neminem enim tranquillum esse, vel beatum, qui suis, vel alienis calamitatibus afficiatur. Et cum liber Maccabeorum testetur, Judæos sectatos esse studia Gentium, verisimile videtur, quod Christi temporibus tales quoque fuerint Hierosolymis, qui professi sint Philosophiam Stoicam, & docuerint, ἀπάθειαν esse necessariam ad comparandam vitæ tranquillitatem, & veram beatitudinem: Christus autem refutat horum Philosophiam & Stoicam indolentiam, & demonstrat non ἀπαθείς, sed ἐλεήμονες, qui miseriis alienis afficiuntur, vere beatos esse. Vid. Brent. in b. l. (5) Papistarum, qui statuunt misericordiam h. l. causam esse, propter quam misericordiam consequamur: sed opponimus his Jansenium ad h. l. Ex scripturis discimus, non nisi per misericordiam Dei salvari nos posse, secundum illud Pauli: Gratia Dei vita æterna. Et h. l. Christus dicit, Beati misericordes, vel qui misericordes, non quia misericordes. Alii volunt, non coronam ipsam æternæ vitæ, sed merita, quibus debetur æternæ vitæ corona, pendere à divina misericordia, seu merita coronæ ex misericordia, coronam autem ipsam ex merito conferri, Bell. l. 5. de Justit. c. 5. Becan. l. 1. Man. contr. c. 18. Cornel. à Lap. super Matth. p. 125. Verum hic nulla meriti, sed tantum præmi, vel doni beatitudinis fit mentio: quia non dicit Christus, beati misericordes, quia meritum ex misericordia, & beatitudinem, seu vitam æternam ex merito consequuntur: sed simpliciter dicit: Beati misericordes, quia misericordiam consequuntur. (6) Origenistarum, qui ex h. l. colligere voluerunt, pœnam damnatorum æternam non fore, si modo fuerint misericordes in hac vita. Verum misericordia h. l. supponit & includit fidem. Confunditur etiam seculum præsens cum futuro: hic locus misericordie, illic in inferno tantum locus Justitiæ.

29. (III) *Ufus Paræneticus* (1) Misericordiæ studendum propter Dei mandatum, exemplum, promissum. (2) Publius dixit: Bona comparat præsidia misericordia. (3) item: Habet in adversis auxilia, qui in secundis commodat. (4) Cum primis erga pauperes & mendicos exercenda misericordia. (5) Nazianz. Orat. de cur. paup. Esto calamitoso Deus, ut vicissim Deus in tua calamitate tibi sit Deus. [6] Non sufficit misericordia privativa, quæ neminem lædimus, sed necessaria dicitur positiva, quæ proximo ærumnoso nostris beneficiis succurrimus. Jac. II. 15. 16. Huc faciunt. Exempla Samaritani Luc. X. 33. seq. Davidis I. Sam. XXX. 11. 12. II. Sam. IX. 1. Nebuzaradani Jerem. XXXIX. 14. XL. 1. seq. Tabithæ Act. IX. 26, &c.





**C**hristus in his terris Christianos rite beatos  
Prædicat, ut verbo nitier usq; velint.  
Namq; fide verbum beat omnes corde fideles,  
Dum regni Domini verba beata colunt.  
Laude proinde manes dignus, PRÆCLARE MAGI-  
STER,

Totus in his studiis cum sacra Tute facis.  
Hoc videat Dominus, moveat SUMMOSQVE  
PATRONOS,

QVI faveant studiis semper, ubiq; Tuis!  
JOHANNES Deutschmann/D.



**W**ie seelig sind / die recht Barmherzig sich erweisen!  
Weil mit Barmherzigkeit der Himmel an sie denkt:  
Die Welt / die schöne Welt / mög' andre seelig preisen,  
So ihren Sinn auff Gold / auff Ehr und Lust gelenkt  
Der entle Tand vergeht. Das Wort der Wahrheit bleibt/  
Ob gleich sonst alles muß zu Grund und Boden geh'n.  
Wohl dem / der Gottes Wort mit Herzens Andacht treibet/  
Der wird zu rechter Zeit nicht sonder Ehre steh'n.

Gott



Gott sieht auff alles Thun? Dem hat Er seine Sachen /  
Herr Heydmann/ werther Freund / Christ-löblich heimgestell't.  
Er spricht: der fromme Gott weiß alles wohl zumachen  
Was Ihm gefallen wird / dasselbe mir gefäll't!  
Wer wolte denn nun nicht ist loben sein Beginnen /  
Daß Er sich wieder zeigt auff unsern Elb-Athen?  
Es ruffen wohlgeneigt Glück zu? die Sioninnen /  
Weil Sie zum dritten mahl Ihn hören wohl besteh'n.  
So wird der Nahmens-Ruhm nicht ohne Nutz erworben/  
Des Landes-Sonn ertheilt den gnaden-reichen Schein:  
So bleibt die Edle Frucht der Weißheit unverdorben;  
Eusebie schreibt es ins Buch der Nach-Welt ein.

Dieses wenige setze dem Hn. Magt-  
ster zu sonderbahren Belieben  
und freundlichen Andencken auf/  
nebst Anwünschung verlangter  
Prosperität

M. JOH. Peißker / P. L. C. und  
Wittenbergischer Schul Rector.






17 WB 1711











D. B. V.  
 TIO THEOLOGICA,  
 De  
**CORDIUM**  
**TYXIA.**  
 MATTH. V. v. 7.  
*QVAM*  
 ELECTORALI ACADEMIA  
 WITTEBERGENSI,  
 PRÆSIDIO  
*Amplissimi, atq; Excellentissimi,*  
**AN. Deutschmann/**  
 corea Prof. Publ. longè  
 umnorum Elector. Ephori  
 Gravisimi.  
*diorumq; Promotoris submissè*  
*devenerandi,*  
 ologorum Examine proponet  
**TIANUS Heydmann/**  
 isnicus, Alumnus Electoralis.  
 vembr. Anno M DC LXXVIII.  
**ATERIO MAJORI.**

WITTEBERGÆ,  
 HANNIS WILCKIL